



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Francisci Tvrriani Societatis Iesv, Aduersùs Magdeburgenses Centuriatores pro Canonibus Apostolorum, & Epistolis Decretalibus Pontificum Apostolicorum, Libri Quinq[ue]

Torres, Francisco de

Coloniae, 1573

VD16 T 1629

Cap. II. Defensio doctrinae de communi vita in epistola 5. Clemensis: & de origine communitatis rerum, & de perfectione eius: & de errore in ea veterum haeticorum, & nostrae aetatis: item de vita ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-29685

Romano scripta, quæ modum ponit lauatiõni mulierũ in balneo, vt honeste, atq; vt fidelem decet, sine scandalo fiat. Quarè hîc non de lauatiõne corporis loquitur Clemens Romanus, qualis erat illa Pharisæorum aut Ebionitarũ, qui eas partes crebrò lauabant, quæ extrinsecùs cernuntur: quod autè intùs erat, id est, cor, non mundabant, quod erat alioqui priùs mundandum. Vndè Pædagogus Clemētis Alexandrini, velut in hunc locũ Clementis Romani in hac epistola, quã Magdeburgenses negant, intuēs: Oportet autè, inquit, maximè quidem lauare animum purgante ratione, & non nunq̃ etiam corpus propter sordes, quæ ei adnascuntur. Væ enim vobis scribæ & Pharisæi hypocritæ, dicit Dñs, quoniam quod est extrinsecùs poculi & patinæ, mundatis, intùs autem plena sunt omnia immunditia. mûda primum quod intùs est poculi, vt fit etiam mundum, quod est exterius. Deindè subiungit: Optimũ ergò lauacrum purgat sordes animæ, estq; spirituale, & quæ sequuntur. Et sanctus Epiphanius confutans lauatiõnem supersticiosam Ebionitarum. lib. 1. tom. 2. cap. 30. Pronunciat, inquit, perfectè aduersùs Pharisæos & scribas crebrò manus lauantes, q̃ illois manibus edere non inquinat hominè. Quarè, inquit, non solùm actiones istorũ euerit, sed etiam lauare manus, superfluũ esse ostendit: tamen lauare manus si quis vellet, non esse noxam. Clemens verò Romanus in epistola sua, nõ solùm non nocere, sed etiam bonum esse, & puritati conueniens, dixit. Sed quæret aliquis fortasè, quid in mentem Clementi venerit, vt de ista lauatiõne corporis meminerit: scilicet quia meminerat de sordibus sanguinis menstrui, non miscendis cum semine mariti, vt incontinentes homines solent. Addiderat autem, custodiendã esse conscientiam ab omni iniquameto corporis, nè quis existimaret, nullam apud fideles mundandi corporis rationem haberi, præsertim cũ & ad eos scriberet, qui ex gentibus crediderant, apud quos magna cura & studiũ lauatiõis est: idcirco de hoc quoq; valdè opportunè & accõmodatè aduersùs Ebionem admonuit. Deniq; quo magis adhuc intelligant Magdeburgenses, non de ritu vllõ Iudaicæ purificationis siue lauatiõis, hoc loco Clementem in epistola loqui, idem Clemens li. 6. de constitut. Apostolicis cap. 23. Vir, inquit, & vxor cùm matrimonio legitimo corpora commiscunt, & coniunctionem corporum dimittunt, precentur sine obseruatione: & si enim non lauerint corpora, puri sunt. Valet hoc cõtra Ebionem, qui (vt sanctus Epiphanius narrat) quotidie, si cũ muliere rem haberet, statim baptizabatur in aquis. Sed de his hætenùs.

Defensio doctrine de communi vita in epistola 5. Clementis: & de origine communitatis rerum, & de perfectione eius: & de errore in ea veterũ hæreticorum, & nostræ ætatis: item de vita communi religiosorum, & de voto, quod suscipitur, item de communi vita clericorum ex communi sumptu ecclesiæ.

Cap. 2.

Tt

Pergunt

Pergunt deinceps, Magdeburgenses accusare epistolas. De communi
 vita, inquit, Clem. epist. 5. & de publica ac solenni benedictione cō-
 iugum in templis, ad quem ritum necessariō obligari vult omnes Ec-
 clesias Euar. 1. Hæc Magdeburgenses. Sed de vita communi quid repræ-
 henderent Magdeburgenses, nihil ampliùs explicarunt nobis, quod vehe-
 menter miror, præsertim cum in promptu esset, quod non solum ipsi, sed
 nos quoq; repræhendimus. Cum enim dixisset Clemens, vsu omnium,
 quæ sunt in hoc mūdo, communem cum omnibus esse hominibus debuisse:
 sed per iniquitatem factū esse, vt alius hoc suum esse diceret, alius aliud:
 atq; ita inter mortales factam esse diuisionem, citassetq; Platonem, Paulū
 imitatus, qui Aratum & Epimenidem, siue (vt alij putant) Callimachū &
 Menandrum citauit, subiungit, non Clemens, absit, sed aliquis patronus li-
 bidinis, in Republica Platonis institutus: In omnibus autē sunt sine dubio
 & coniuges, quod quidem in vetusto exemplari bibliothecæ Vaticanæ nō
 est, vt perspicui potest ab ijs, qui voluerint oculis suis credere. Vetus est hoc
 artificium adscribendi magnis authoribus, quæ nunq̄ scripserunt, neq; sen-
 serunt. Cuius rei exemplū, nē longiùs petatur, dudum in opere confessio-
 nis catholicæ Stanislai Hofij lectissimi Cardinalis Varmienſis, apparuit.
 Qui cum de cælibatu eruditè & catholicè, vt cætera, scripſisset, & de dispē-
 satione eius pro sua modestia ac prudentia sententiam interponere suam
 nolisset, nescio quis dispensationis in cælibatu callidus patronus, nactus,
 vt sibi visum est, affingendi opportunitatē, sed parū in affingēdo cautus,
 post Cypriani locū de virginibus Deo dicatis cōtinere nolentibus, in ter-
 tia editione Antuerpiana Ioannis Stellsij, sententiam suam de dispensatione
 interiecit, & auctori operis adscripsit, quā ipse quidem non esse illius, neq;
 quæ ibidem in margine apposita sunt, præterquam quod ipse idem auctor
 lectorem in principio operis postea editi admonuit, satis ille ipse locus de-
 clarat, in quo auctor dicit, nolle se de dispensatione sententiam dicere. Er-
 gō sententia, quæ de ea re ibi dicta est, cum notatione margini apposita, nō
 est auctoris. ita in astutia sua compræhensus est ille, qui corrector simul &
 corruptor alieni operis esse voluit. Audiui eum, cum de hac fraude, & qui-
 dem meritō diceret, si hoc iste, me superſtite, ausus est, quid mortuo non
 ausus esset? Sed redeamus ad locum Clemētis, quem, mirandum profectō
 est, cur Magdeburgenses dissimularint, qui tam diligēter alioqui, quid in
 his epistolis accusarent, quæ fuerunt, dissimulasse eos credo, nē damnare
 viderentur, quod apud suos Luteranos fortasē fieri cuperent, qui etiam
 sponſas Christi virgines sacras, cōmunes vxores habere volunt: quod eo-
 rum magister Luterus, in libro de vitandis hominum doctrinis, inſcripto,
 docuit, & exemplo suo confirmauit, qui monialem ex monasterio Nymi-
 censi raptam Catharinam de Bore, vxorem duxit: & si ante annos ampliùs
 septingentos quinquaginta in Germania Synodus Saltzburgēſis, S. Vigilio
 Archiepiscopo, verbum Dei sequēſ, nē moniales nuberent, prohibuiſſet.

Quid

Cur Magd. cū
 vitam cōmū-
 nem in episto-
 5. Clem. repræ-
 hēderēt, quod
 ibi falsō scrip-
 ptum erat de
 communitate
 vxorum, dis-
 simularunt.

Quid igitur mirum, si etiam pro sua libidine & incontinentia, laicorum quoque uxores communes esse profiteri vellent, ut quidam ex Anabaptistis ex Lutero natis, & Monasteriensis profiterentur, si tamen hanc eorum disciplinam generosi Germani paterentur. Quanto melius fecit Massæus Cameracensis, qui lib. 9. suorum Chronicorum, cum non crederet scriptum esse hoc à Clemente, merito exclamans, is ne, inquit, contenderet coniuges singulorum, omnibus debere esse communes? deinde subiungit: Vel ex hoc solo verbo satis datur intelligi, cuius fuerit, nimirum infelicis Nicolai, aut alicuius sectatorum eius, quos inter primos hæreticos legimus. Hæc Massæus. Magdeburgenses verò tantum abest, ut vlla hic exclamatione vfi fuerint, ut neque satis significauerint, quid in ista vita communi, quam notârunt, repræhenderent, communitatem rerum ad exemplum Apostolorum, & illius primæ ecclesiæ, qualis nunc in religiosorum cœnobijs, sic à communitate illa vitæ græco vocabulo dictis, cernitur? an magis communitatem illam mulierum Platonicæ Reipub. quæ in 5. lib. descripta est? nihil enim aliud, neque alio modo notârunt, quàm sic, De communi vita epist. 5. Clemētis. Quare cum sciant omnes, Luteranorum magistris magis odiosam esse monasticam rerum communitatem, quàm incōtinentiã hominum carnalium, ut qui sint discipuli eius, id est, Luteri, ex cuius 6. tomo operum manauit in vulgus, & iam in prouerbiũ Germanicum abiit, Si nõ vult vxor, veniat ancilla: & in lib. de vita cōiugali, Virum muliere, & mulierem viro minùs carere posse, quàm cibo, potu, & somno: suspicor Magdeburgenses hunc locum epistolæ Clementis de vita communi, idcirco notâsse ac repræhensisse, quod in eo Clemens vitam communem, quam Luterus vnà cum monachatu in Germania sustulit, omnibus necessariam esse dicat, nõ quidem ad salutem, nõ enim hoc dixit: immò quia omnibus necessariam dixerat, statim veluti interpretans, correxit. subiungit enim, quibus necessariam diceret, & ad quid, inquit. Et maximè ijs, qui Deo irrepræhensibiliter militare cupiunt, & vitam Apostolorum, eorumque discipulorum imitari volunt. Hæc autem communitatem vitæ et si ab Apostolis sanctis institutã, & Apostolico exemplo primæ illius ecclesiæ cōmendatã, ad quam hortatur Clemens, ut ad vitæ sanctitatem commodissimã, nè quis tñ contemnere, aut tanquã ociosã, & humanæ vitæ incōmodã repræhendere auderet, ut iam olim aucti sunt hæretici, idcirco ad ortum naturæ integræ ante peccatũ, retulit originem eius, cum ait: Vñs enim omnium, quæ sunt in hoc mundo, cōmunis omnibus esse hominibus debuit: sed per iniquitatem, inquit, hoc est, propter peccatum Adæ, factum est, ut alius hoc suum esse dicat, & alius istud, sic inter mortales facta diuisio est. Ad eundem statum naturæ integræ, ac nondum propter peccatũ diuisæ, hoc genus vitæ communis retulit magnus Basilius. Imitatus itaque est Clemens Apostolũ Paulum, qui, ut apostolicam traditionem velandi capitis muliebris defenderet, ratione ex natura petiuit: Nec ipsa (inquit) natura docet vos, vir quidem si comam nutriat, 1. Cor. 14.

Quibus, & ad quid, communitatem rerum necessariã esse dixerit Clemens.

Origo communitatis rerum, ad ortũ naturæ relata.

1. Cor. 14.

ignominia est illi: mulier verò si comam nutriat, gloria est illi: quoniã capilli pro velamine ei dati sunt. Ei autè qui cõtendere pergeret, & rationem hanc, quæ fati traditionem ipsam defendebat, adhuc contemnendam esse putaret, consuetudinem ecclesiarũ opposuit, quæ, vt Tertull. ait, traditionis confirmatrix est. Nos (inquit) talem consuetudinem non habemus, nec ecclesia Dei. Sic Clemens vt exemplo Pauli apostolicam traditionem vitæ communis defenderet, quam quidã contemnebant, & quod grauius erat, ex voto susceptã violabant, rationẽ ex naturæ integræ statu petiuit, vt perindè sit, quasi diceret, an status naturæ integræ, in quo vsus omniũ communis esse debuit, non satis docet vos, communem vitam à sanctis apostolis traditam, ad excellentem statũ pertinere? vt iam qui statũ vitæ communis religioforũ improbant, vt faciunt noui hæretici, consequens sit, vt statum quoq; naturæ illius integræ, qui status innocentia dici solet, improbari planè videantur. Quare relinquendi sunt isti vt contentiosi: & consuetudo ecclesiastica cœnobiõrum, quæ ex apostolica traditione manauit, colenda & celebranda est. Deindè citat Platonem, qui dixit, amicorum omnia esse communia: quod quidem dictum eatenus probat Clemens, quatenus conuenienter naturæ integræ, ad communem vitam, quæ ab apostolis tradita est, & quæ secũdũ Apostolicam traditionem vsq; in hodiernum diem in cœnobijs religioforũ viuunt, pertinere potest: non autè, quatenus idem Plato ad communitatem quoq; vxorum & possessionum, pertinere in re pub. sua voluit, quod quidem tum ab hoc loco & pposito, tum à recta ratione naturæ insita, alienum est, vt Aristoteles corrector Platonis, vt trunq; in 2. lib. Politicorum multis rationibus docuit. Deindè subiungit. Et sicut non potest diuidi aer, neq; splendor solis, ita nec ea, quæ cõmuniter in hoc mundo omnibus data sunt ad habendum, diuidi debent, (sicenim in antiquo exemplari scriptum est) sed habenda sunt communia. Hoc exemplo vsus est Clemens, vt probaret, sicut hæc omnibus à natura data sunt ad vtendum communiter, ita cætera omnia esse posse, vbi charitas ad imitationẽ illius primi status innocentia & perfectionis vitæ inuitauerit, vt Apostolorum tempore Hierosolymis factum est. Immò & Dominus, vt beatus Basilii in asceticis constitutionibus ad eos, qui in cœnobijs habitant, scribit, congregatis discipulis communia omnia, & se ipse communẽ eis præbuit. Communis itaq; vita, id est, communis vsus rerum, primũ quidem ex charitate naturali profectus est: quam qui accusat, naturã & naturæ auctorem accusat. Huius autem vitæ communis, ex naturali charitate proficiscentis, perfectio & consummatio, est vita communis per diuinã gratiam ostensa & tributa: sicut charitatis naturalis perfectio & absolutio, est charitas spiritualis & diuina. Hanc verò vitã communem excellentiorem sancti Apostoli & eorũ discipuli coluerũt: & ad eorũ exemplum hodiẽ in ecclesia catholica infiniti monachi, & multi clerici seruant, sicut de suo etiam tempore beatus Augusti. in lib. de hæresibus, testatur, cũ scribens de quibusdam

Quatenus probetur Clemensi dictum Platonis, amicorum omnia esse communia.

Duplex genus communitatis rerum: duplex genus charitatis.

dam hæreticis, qui Apostolici dicebantur: Qui se, inquit, hoc nomine arrogantisimè vocauerunt, eò quòd in suam communionem non acciperent yentes vxoribus, & res proprias possidentes. Deindè subiungit: Quales habet ecclesia catholica & monachos & Clericos plurimos. Sed ideo, inquit, isti hæretici sunt, quia se ab ecclesia separantes, nullam spem putant eos habere, qui vtuntur his rebus, quibus ipsi carent. Hęc August. Verùm hos nostri monachi non imitantur, nec hoc nos profitemur. Sed rursus vos Magdeb. peiores estis, quàm illi hæretici, qui se arroganter apostolicos vocabant, vt ipsi quoquè arrogantissimè vos Euangelicos vocastis: sed cur peiores? scilicet, quia illi non contenti vitam communem & Apostolicam, vitæ Laicorum nõ communi, vt excellentiorem antepone, cæteros quasi nulla eis spes salutis reliqua esset, damnabant: vos verò non solùm non anteponeitis, sed etiam accusatis, Apostolos & Apostolorum exemplum condemnantes, immò in Deum, qui talem ac tantam gratiam eiusmodi vitæ communis eis dedit, blasphemantes. neque solùm peiores, quàm illi hæretici, estis, sed meliùs quàm vos, quidam veteres senserunt, qui nec in Christum vnquam crediderunt, nec Euangelium fortassè legerunt, qui solam rationem naturæ insitam secuti, communem vitam Esseorum summis laudibus extulerunt: Philonem dico in libro, quem sic inscripsit, quòd solus bonus sit liber: (Tameñ Photius hunc in bibliotheca sua scribit Christianum factum, à fide postea ob iram & tristitiam defecisse) & Flanium Iosephum lib. 2. de bello Iudaico: eosdem quoquè Plinius lib. 5. historiarum naturalis cap. 7. admiratus est, quos parùm deflexo vocabulo Hæsenos vocauit, miram gentem appellans, sine vlla Venere, & sine vlla pecunia. Sed vt magis intelligant Magdeburgenses, quod Dominus in Euangelio dixit illi adolescenti: Si vis perfectus esse, vade: vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & veni, sequere me, huc pertinere, id est, ad hanc vitam communem, quam Clemens Apostolicus ijs præsertim, qui Deo irreprehensibiliter militare cupiunt, necessariam esse dicit. Interpretabor hinc Latine, quæ Nilus Chrysof. discipulus, in libro eruditissimo & elegantissimo *περί ἀσκητικῶν νόμων* inscripto, nos de nihil possidendo dicamus, ad Magnam diaconissam Anaclyranam scripsit: Aequè, inquit, pulchritudo formæ & opes appetuntur: & vtriusque horum illecebris non irretiri, fortis animi est: sed qui profectum nihil possidendi susceperunt, maiore adhuc admiratione digni sunt, quippe quos æstimatio diuitiarum non traxit: neque mentem vanis curis alligare voluerunt. Nam cum cætera alia sensui iucunda, facilè homines inuitent & fallant, multo etiam magis diuitiarum hoc faciunt, quòd ad voluptates & honores magnoperè sint accommodatæ: & quod insipientes longa consuetudo docuit, eos ducere beatos, qui sunt opulenti, tum propter gloriam & splendorem eorum, tum propter voluptates, quibus fruuntur. Deindè subiungit: Excellentes itaque existimandi sunt, qui tanquam in palestra cogitationes illas vicerunt, quæ mentem impellunt ad assentiendum

*Peius de cõ-
munitate reo-
rum ad neces-
sitate vite
pertinentium
senserunt, qui
se nostra at-
te vocarunt
euangelicos,
quã qui olim
se vocarunt
Apostolicos.
immò peius
quàm quidã,
qui nunquam
in Christum
crediderunt.*

*Quod Domi-
nus dixit, Vade,
& vende
omnia quæ ha-
bes etc. ad eã
vitam com-
munem perti-
nebat, de qua
Clemens.
Nilus.*

opinionem populari de opibus amplectendis quasi veris bonis, & non relinquendis illis bonis, quæ omnium sententia magnæ æstimationis esse videatur. Haec enim Nilus. Ad hanc excellentiam omnia bona propter Deum relinquenda inuitavit Dominus adolescentem illum, quod vos quidem simul accusatis, dum vitam communem, quæ in non possidendo cernitur, accusatis. Ad hanc quoque vitam communem David, tanquam buccina spiritus S. prophetica, exsuscitauit, cum dixit: Ecce quam bonum & quam iucundum, habitare fratres in vnum: quod quidem significantius græcè dicitur, habitare in vno, id est, in id ipsum, quod est ita vnà habitare fratres, vt sicut in Actis Apost. scriptum est, sit eorum cor vnum & anima vna: & nihil sit cuiusque proprium, nihil diuisum, sed omnia communia. esse enim versiculi huius hunc sensum legitimum, pertinereque in primis ad vitam communem religiosorum, interpretis & testis est Apostolica traditio, quam in hac epist. Clemens sic interpretando secutus est. Idem fecit pater Aug. in sermone 52. de communi vita clericorum. loquens enim de clerico religioso, professus est (inquit) communiter viuendi societatem, & professus est, quam bonum & quam iucundum habitare fratres in vnum. Et in Psal. 132. de illa prima ecclesia loquens, Ergo ipsi (inquit) primi audiuerunt. Ecce quam bonum & quam iucundum, habitare fratres in vnum. sed non soli audiuerunt. non enim ad illos solum ista dilectio & vnitas fratrum venit. venit enim & ad posteros ista charitatis exultatio & votum Deo. Haec enim August. Sic etiam magnus Basilius interpretatus est in eodem cap. 19. asceticarum constitutionum. sic enim ait de ijs, qui vitam communem profitentur: David in psalmo cecinit, Ecce quam bonum & quam iucundum, habitare fratres in vnum. Cum igitur in scriptura tum prophetæ, tum Lucæ Euangelistæ in Actis Apostolorum sit societas ista vite communis, quam multiplicium ordinum monachi & religiosi secundum apostolicam traditionem profitentur, quid iam noui heretici nomen monachi aut monasterij, in scriptura à nobis requirunt? an negant in scripturis rem subiectam vocabulo homouij, aut theotoci, quia neutrum horum in scriptura legant? minime. ergo aut rem homouij tollant, quia verbum homouij non legunt: aut si non tollunt rem homouij, quantum verbum ipsum non legant, nec vitam communem monachorum tollant, quantum neque verbum monachi, neque monasterij in scriptura legant, quæ sunt alioqui cum ipsa apostolica traditione vite communis, nata, vt ex Dionysio Areopag. Pauli discipulo, in ecclesiastica hier. c. de monastica consumptione perspicere potest, qui monachos appellat: & Philon Alexandrinus, qui beatum Petrum Romæ vidit tempore Claudij Imperatoris, eorum domicilia monasteria vocat in libro, quem de prima Marci euangelistæ ecclesia, vt ait beatus Hierony. scripsit, ex quo (inquit idem Hierony.) apparet, talem primum Christo credentium fuisse ecclesiam, quales nunc monachi esse nuntiantur & cupiunt, vt nihil cuiusquam proprium sit: nullus inter eos diues, nullus pauper: patrimonium egentibus diuidant: orationi vacent & psalmis, doctri-

Qui vitam communem in epist. Clem. quæ in non possidendo vllam rem priuatè cernitur, reprehendit, illud item simul reprehendit, quod Dominus dixit illi adolescenti, vnde &c.

Psal. 132.

Res subiecta vocabulo monachi, in scriptura est, licet non sit vocabulum ipsum.

doctrinis quoque ac continentia: quales & Lucas refert primùm Hierosolymis fuisse credentes. Hęc beatus Hieronymus Fertur is Philonis liber in manibus omnium *περὶ βίου θεωρητικῶν ἢ ἱκετῶν* inscriptus. Quòd si vitam communem religiosorum, de qua loquimur, propter votū, ex quo suscipitur, Magdeb. reprehendunt, nihil enim explicarunt, nos ecclesias omnes Orientis & Occidentis reprehensoribus exēplo Pauli opponimus, quę talem consuetudinem habent, vt cōmunem vitam ex voto suscipiāt & profiteantur, quicumque volunt, si probati sint & idonei. quę consuetudo nō aliundē, quā ex Apostolica traditione nata est, neq; nasci potuit. In illa enim prima ecclesia, qui huiusmodi vitam communem profiteri volebant, si postea à proposito & recepto exciderent, rei voti erant. quod crimē exemplo seuerissimi supplicij, ac maximi terroris, primùm in Anania & vxore eius, à beato Petro vindicatum est: quia vt beatus August. in regula sua prima ait, non licet sibi retinere, quod per pactum ad omnes pertinet, & Deo est consecratum, quod Ananias & vxor commiserant, qui (vt ait beatus Hierony. in epistola ad Demetriadē) post votū abstulerunt quasi sua, & non eius, cui semel ea vouerant, partemq; sibi alienę substantię reseruauerunt. Præterea, quòd secundum institutionem Apostolorum etiam in ecclesijs cōmunem vitā ex cōmuni sumptu ecclesiarum clerici viuerent, testimonio est, quod Clemens Rom. lib. 2. de const. apost. cap. 58. scribit: Si quis presbyter ex parœcia (nos verbo iam pro Latino trito dicecesim vocamus) aduenerit, excipiat a presbyteris *κοινωνικῶς*: si diaconus, à diaconis *κοινωνικῶς* excipere iubet, id est, more vitę communis, siue vt ratio vitę communis postulat, vt scilicet communicentur cum eis, quęcunq; opus erunt. Eodem verbo vsus est Eusebius Alexandrinus Archiepisc. ante annos mille trecentos in sermone de Dominico die, hortans ad permanendum in ecclesia vsque ad extremū Missę, siue (inquit) sit *κοινωνικῶς*, siue non sit, debet permanere, quousq; dimittatur ecclesia. Hoc enim significat *μέχρι τῆς ἀπολύσεως τῆς ἐκκλησίας*, id est, siue sit clericus vel religiosus. hi enim, quia vitam communem ducerent, dicebantur *κοινωνικοί*, siue ex laicis. hinc dicta sunt à tempore Apostolorū cœnobia, & canonici cœnobiōrū: vnde sermones magni Basilij ad canonicos in cœnobijs, & ad canonicas. Itaque non solum in monasterijs & cœnobijs monachorum vita communis à temporibus Apostolorum suscepta & culta semper fuit, sed ex magna etiam parte in ecclesijs cathedralibus, quas vocant, à clericis canonicis. vt etiam Guilielmus Durantes, cognomento Speculator, ante annos 300. libro 6. diuinorum offic. cap. de 7. diebus post pascha, testatus est pluribus antiquorum decretis obseruatis Urbani, Augustini, Gregorij primi, Greg. 7. 12. q. 1. cap. Quia. & cap. Scimus. & cap. sequenti. & ext. de vit. & hon. cap. Quoniam ergo qui non contenti viuere ex communi sumptu ecclesię, propriū etiam habere voluerunt, cū prius à vita communi cœnonicis vocarētur, canonici postea vocati sunt, quòd sub ecclesiastica regula bonis moribus vi-

*Violatio voti
in Anania, &
vxore eius se-
uere vindi-
cata.*

*Vita commu-
nis non solum
in cœnobijs,
sed in eccles-
ijs à clericis
canonicis ex
voto suscepta.*

bus viuere, & canendis psalmis inuigilare debeant. sic enim videtur mihi interpretatus esse verbum canonici beatus Gregorius in epistola ad Augustinum Anglorum Episcopum. 12. q. 1. cap. Quia. Clerici autem, qui ex ecclesia communiter viuentes, nihil proprium habere volunt, canonici regulares appellati sunt. quod ad regulam viuendi communiter ex ecclesia, regulam paupertatis, id est, nihil habendi proprium, ex voto adiungant. atq; huiusmodi clericos, canonicos regulares diu fuisse olim in ecclesia Hierosolymitana patriarchali, vnde primùm à sanctis Apostolis hæc communis vita, & institutum nihil possidendi, vsque ad nostra tempora manauit, auctores sunt Iacobus Vitriacus episcopus Achonenfis ante annos 300. & amplius, & Ludolphus Carthusiensis natione Teutonicus, ante annos amplius 200. Rursus in ecclesia Nazarenfi cathedrali fuisse huiusmodi clericos canonicos cum episcopo regulares, testis est epist. decretalis Innoc. 3. ext. de regul. cap. Sic. Ad hæc, Cambius canonicus Mediolanensis ante annos prope centum, Hierosolymam ad loca illa sancta & religiosa profectus, narrat venisse ad manus suas librum antiquum, inscriptum de liberata & capta terra sancta, ex bibliot. ecclesiæ montis Sion, in quo sic scriptum erat: Habet Hierosoly. patriarcha quosdam episcopos suffraganeos, Bethleemitanum, Ebronensem, & Liquidensem. fuit autem ecclesia Bethleemitica prioratus canonicorum regularium vsque ad tempora Balduini primi regis Latinorum. Hæc ille. Item Iuo episc. ad canonicos ecclesiæ Beluacensis, in qua fuerat Canonicus, factus postea episcopus Carnotensis, sic scripsit: Præfens animo, corpore autem absens, exopto & exhortor, vt pacem scetmini & sanctimoniam: hæc vouistis, hæc debetis. Præterea scriptum est in historia Teutonica episcoporum Salisburgensium, Paschasio pōtifice Romano, factum esse Conradum episcopum Salisburgensem ante annos 450. & amplius, fecisset eum, vt à clericis ecclesiæ suæ regula beati Augustini, id est, canonicorum regularium, susciperetur. Immo vsque in hodiernum diem canonici ecclesiæ cathedralis Garolitanæ, siue Garopolitanæ in Scotia, regulares sunt, id est, vitam communem viuunt, & nihil proprium habere possunt, sicut ante annos 300. & amplius, vt perspicitur ex decretali Innocen. 3. ext. de statu mon. cap. Per tuas. Hæc omnia, quæ hætenus commemorauimus, eò spectant, vt intelligant Magdeburg. vitam communem, quam improbant, non solum in monasterijs & cœnobijs monachorum, quæ ipsi oderunt, & eorum magister Luterus tum igne linguæ suæ, tum armis & incendijs Rusticorum in Germania deleuit, sed in plerisque ecclesijs cathedralibus episcoporum ad exemplum Apostolicæ institutionis, ab ipsis vsque præcis temporibus fuisse. Quod si communem vitam monachorum non patiuntur Luterani ex Apostolica institutione venisse, quia verbum monachi in scriptura non legunt, patiantur vitam communem ministrorum ecclesiæ, qui sunt presbyteri, diaconi, & episcopi, quæ verba in scripturis legunt. Sed de his hætenus, respondeamus ad alia.

Defensio

Defensio doctrinae de solemnibus benedictione sacerdotali nuptiarum, in epistola Euaristi: de causa eius & utilitate: & responsio item ad id, quod in huiusmodi traditionibus obijciunt Magdeburgenses, esse laqueos conscientiae.
 Cap. 3.

AC rursus, ut iam ad illud alterum de publica & solenni in templis benedictione nuptiarum, quam reprehenditis, veniam, si quod in Gen. 1. Gen. 1. benedixitque illis, & ait, Crescite & multiplicamini: similiter secundum traditionem à maioribus relictam, & in ecclesia catholica per omnes mundi partes conseruatam interpreta- mini, nunquam epistolam grauissimam sancti Euaristi Apostolici pontifi- cis propter benedictionem nuptiarum, quam secundum traditionem Apo- stolorum sanxit, accusaretis. Aliter enim, inquit, ut à patribus accepimus, & à sanctis Apostolis, eorumque successoribus traditum inuenimus, non fit coniugium: & quae sequuntur. Quia enim Dominus in Adam & Eua pri- mis coniugibus, ceteris omnibus coniugibus benedixit: qui postea usque ad consummationem seculi, secundum illam à principio legem coniuga- lem per os Adae omnibus coniugibus pronunciatam copulandi erant, & nuptiarum à quia in illis ab initio coniugale foedus tam excellenti mysterio consecrauit, s. Apostolis ut in eo magnum vnionis Christi & ecclesiae sponsae sacramentum, ut nos tradita, Apostolus docuit, designaret: idcirco sancti Apostoli tanquam illius diui- nae benedictionis & sacramenti nuptiarum interpretes, & religiosi cultores, diuine tradiderunt, ut quod erat sacramentum, ut omnia honestè & se- cundum ordinem fierent in nobis, sacerdotali ministerio cum precibus & oblationibus honoraretur: & noui coniuges benedictionem sacramenti ecclesiae per ecclesiasticos ministros, ut decebat, acciperent. Sed quia noui heretici negant quoque sacramentum esse coniugium, differant de hoc postea aduersus eos. nunc ad illud respondebo, quod hic potissimum isti accu- sant, nempe quod ad hunc ritum publicae huius & solennis benedictionis nuptiarum, necessariò omnes ecclesias obligari pontifex Euaristus vult: Laqueum ino- atque hoc quidem ad humanam traditionem, & laqueum conscientiae in- iectum pertinere putant. sic enim dicunt, quod quidem nunquam dicerent, iectum, quid si quid sit laqueum iniectum apud Paulum, intelligerent. tunc enim laqueus re- sit. iniicitur, si de quo Christus consilium dat, & non praecipit, quia fit ardu- um quid, & communes hominum vires superans, idè postea lege composita cuius iubeatur, quod est per vim legis quasi laqueo ad id trahere. Hinc Sa- lomom in Proverb. Laqueus, inquit, viro, celeriter proprio ore sanctifica- re: post votum namque poenitere contingit. Hunc locum imitatus Apostolus, hor- tans ad vitam caelestem, & nulli eam imperans, cum sciret Dominum dixisse: Qui poterit capere, capiat: postquam commoditatem eius vitae ad seruandum Deo expeditius ac liberius, exposuit: subiungit: Porro hoc ad utilitatem vestram dico, non ut laqueum vobis iniiciam: id est, non ut, quod in vestra 1. Cor. 7. potestate

Vuu

potestate